

fori, ubi litigatur? Est hic prænotandum, quod *Præparatoria judiciorum* dicantur ea, quæ pertinent ad ordinationem litis, hoc est, respiciunt modum, ac ordinem procedendi in judicio: ut sunt oblatio libelli, contestatio litis, terminus peremptorius, receptio testium, ac diversa statuta et consuetudines particulares locorum, quæ circa præmissa, et alia hujusmodi dantur; nam isthæc non ubilibet sunt uniformia, sed variantur multoties pro diversitate fori ac tribunalium.

Decisoria judiciorum econtra dicuntur, quæ pertinent ad decisionem causæ: ut sunt leges, statuta et consuetudines laudabiles, non solum juris communis, sed etiam particularium locorum, quæ in republica, ipsoque convictu humano, ac variis contractibus observari præcipiuntur, atque juxta diversitatem locorum aliarumque circumstantiarum non raro varia existunt. Quæstio proinde remanet, utrum, si in istis reperiat difformiter inter forum actoris et rei, aut judicii, sint attendendæ leges et consuetudines judicis, seu fori ubi litigatur, ita ut juxta has judex procedere, ac sententiare teneatur, necne. Quo prænotato

225. *In præparatoriis eorum attenduntur consuetudines fori, ubi litigatur.* — Resp. I. Quoad præparatoria judicii attendendæ sunt leges, et laudabiles consuetudines fori, ubi litigatur. Ita Glossa un. in c. *Quod clericis.* et Abbas ibid. n. 10. *de Foro compet.* et c. *Licet ex suscepto.* n. 14. eod.; Bartolus in l. *Consuetudinis.* quæst. 34. C. *Quæ sit longa consuetudo;* Macardus *de Probation.* concl. 423. n. 9; Alexander Sperellus *Decision.* 10. *Fori ecclesiast.* n. 22. et seqq.; Barbosa in cit. c. *Quod clericis.* n. 8 et 9, et communis. Idque desumitur ex l. *Testium.* § fin. ff. *de Testib.* ubi judex circa evocationem testium (qualis utique connumeratur inter præparatoria judicii) jubetur « explorare, quæ consuetudo in ea provincia, in qua judicat, fuerit. » Unde Bartolus ibid. in Summario, generaliter infert, quod in his, quæ spectant ad litis ordinationem, debemus inspicere consuetudinem loci, ubi agitur.

226. *Idque exemplificatur, et amplius probatur.* — Infertur proinde, quod si clericus conveniat laicum coram judice sæculari, ipse quantum ad litis ordinationem, ut puta quoad libelli oblationem, contestationem litis, ipsumque modum ac ordinem procedendi in judicio, teneatur servare leges et consuetu-

dines, cæteroquin tamen rationabiles, illius fori sæcularis, ubi agitur causa. Nam hujusmodi leges, statuta et consuetudines, non concernunt personam litigantium, sed causam ipsam, quæ subjicitur illi foro: simulque jus canonicum consentit, clericos certis in casibus coram sæculari judice litigare, hoc ipso tacite consentire censetur, ut juxta illius fori modum agant. Sperellus loc. cit. n. 24 et 25. Et vicissim, si laicus, is debet observare constitutiones, et consuetudines hujus fori quoad ea, quæ pertinent ad modum procedendi in judicio. Abbas cit. n. 10; Pirhing. tit. *de Foro compet.* n. 146, et alii.

227. *Econtra quoad decisoria litis attenduntur consuetudines et statuta litigantium.* — Resp. II. Econtra vero quoad decisoria litis, quando intervenit aliqua discrepantia inter leges seu consuetudines fori litigantium ac judicii, tunc judex debet judicare secundum consuetudinem litigantium, eorumque statuta, non autem secundum sua. Ita Abbas in c. *Ecclesia Sanctæ Mariæ.* n. 41 et 42. *de Constitut. in solemnibus repetit.*; Bartolus cit. quæst. 34; Mascardus, Sperellus, et Barbosa ubi supra, et alii. Conclusio hæc probatur ex c. *Cum venissent.* 3. *De eo qui mittitur in possessiones.* ubi legitur, commissam fuisse causam judicibus, « secundum jus et bonam terræ consuetudinem terminandam. » Concordat textus in l. I. ff. *de Usuris,* et l. *Si fundus.* ff. *de Eviction.* in quo posteriori loco Glossa generaliter infert, quod inspiciatur consuetudo loci, ubi contractus est: idem ergo dicendum in cæteris causis quoad ea, quæ spectant ad decisionem litis.

228. *Atque hoc varie exemplificatur.* — Hinc in c. *Constitutus.* 8. *De in integrum restitut.* judicatur secundum approbatam consuetudinem loci, ubi contractus venditionis celebratur. Idem, si agitur ratiōe delicti, consideratur jus loci, ubi delictum commissum est, c. *Ut animarum.* *de Constitut.* in 6. et Auth. *Quia in provincia.* C. *Ubi de crimin. agi oportet.* Similiter, quando agitur super re aliqua, tunc servanda sunt jura atque laudabiles consuetudines illius loci, ubi res sita existit; ut c. *Raynutius.* 16. *de Testament.* et l. *An in totum.* C. *de Aedificiis privat.* Abbas in c. *Quod clericis.* n. 11. *de Foro compet.* Atque hæc procedunt non solum, quando laicus agit contra laicum, sed etiam quando clericus in foro sæculari agit contra laicum. Pirhing. tit. *de Foro compet.* n. 147. et alii.

TITULUS II.

De Foro competenti.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de judiciis ut sic, procedit compilerator juris canonici ad tractandum de singulis partibus, et actibus judicii: et quia ante omnem alium actum judicialem debet discuti de competentia fori, utpote de qua rei in judicium vocati non raro excipiunt, merito cæteris subsequentibus præsens rubrica præmittitur. Hinc sit

§ I.

GENERALIA DE FORO, EJUSQUE COMPETENTIA PRÆMITTUNTUR.

2. *Nomen fori quandoque sumitur in masculino, quandoque in neutro.* — Quæritur I. Quid intelligatur nomine *Fori*, præsertim *competentis*? Resp. I. Nomen *Fori* varias habet significationes, et quandoque in masculino, quandoque in neutro genere ponitur. Atque imprimis *Forum* in neutro positum, significat locum deputatum ad emendum, vel vendendum res quaspiam: quæ tamen acceptio ad propositum non facit.

3. *In neutro acceptum, quid significet?* — Aliter igitur *Forum* in neutro positum, accipitur pro districto, seu territorio cujusque judicis, intra quod in facinorosos animadvertere potest, arg. l. *Pupillus.* § *Territorium.* ff. *de Verb. signif.* et notat Abbas ad rubric. h. t. post Hostiensem. Sic omnes basilicæ intra fines suæ diocesis constructæ, dicuntur esse de territorio, seu foro episcopi, can. *Omnes basilicæ.* 16. q. 7. Sic etiam procedit illud vulgatum: « Extra territorium jus dicendi, impune non paretur; » ac refertur cap. ult. *de Constitut.* in 6 et l. fin. ff. *de Jurisdict. omn. judic.*

4. *Et quid in masculino?* — *Forus* in masculino genere positus, « est exercendarum litium locus: a *fando* dictus, sive a *Foroneo* rege, qui primus Græcis legem dedit; » prout legitur in c. *Forus.* *de Verb. signif.* Atque alio nomine dicitur tribunal, ut l. I. ff. *de Judiciis.* Item auditorium, l. *Contra pupillum.* ff. *de Re judicat.* ac respectu Papæ, consistorium.

5. *Forus competens, quid?* — Resp. II. *Forus competens*, de quo loquitur rubrica præsentis tituli, idem est, ac tribunal judicis, cujus jurisdictioni reus, qui convenitur, sub-

jectus existit. Et notanter hæc definitio ponitur in ordine ad reum: quia generale est, ut actor forum sequatur rei, cap. v et cap. viii. h. t. et l. ult. C. *Ubi in rem actio*, etc., sicque competentia fori non nisi in ordine ad judicem, ejus jurisdictioni reus subjectus est, desumi potest. Ex conformiter dictis, judex competens censetur ille, cujus jurisdictioni reus subjicitur.

6. *Si reus habet multiplicem forum, in electione actoris est, eum in quo maluerit foro, convenire.* — Resp. III. Si reus conveniendus multiplicem forum sortiatur (prout frequenter contingit ex causis in progressu enumerandis) in electione actoris erit, convenire reum, in quo maluerit foro. Ita Glossa in c. *Dilecti.* § *Ubi domicilium*, h. t. et l. ult. C. *Ubi in rem actio*, etc. id probans ex l. II. § *Plane, si perfecta.* ff. *de Judiciis*; estque communis canonistarum, teste Fagnano in c. *Licet.* n. 40. h. t.

7. *Reus coram incompetente judice conventus impune non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam fori. Hæc exceptio est proponenda mox ab initio, ante litis ingressum.* — Quæritur II. Quid juris, si reus conveniatur coram incompetente judice, aut de hujus competentia dubium oriatur? Resp. I. Reus coram judice incompetente conventus, impune non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam fori: hæc tamen mox ab initio ante litis ingressum, seu ante litis contestationem, imo et ante alias exceptiones dilatorias proponenda est; ne si reo sciente, et connivente, procedatur ad alia, videatur is in talem judicem consensisse, ejusque personam approbasse, ac jurisdictionem prorogasse l. *Consensisse.* § 1. ff. *de Judiciis*: sicque non possit postmodum ejus judicium declinare. Patet hoc ex l. ult. C. *de Exceptionib.* et amplius declarat Glossa in c. *Exceptionem.* § *In dilatoris*, et Abbas, ibid. n. 11. *de Exceptionib.*

8. *Solvitur instantia, simulque hoc amplius declaratur.* — Dices: Sententia a non suo judice lata est ipso jure nulla, ut c. *At si clerici* h. t. et l. 1. ac seqq. C. *Si a non competente judice*, etc.; ergo non est necesse, exceptionem declinatoriam fori opponere ante ingressum litis; imo poterit ipsa quocumque tempore, etiam post latam sententiam opponi, sicut et nullitas sententiæ. Resp. neg. consequent. Licet enim exceptio declinatoria fori quandoque possit proponi quocumque tempore, etiam post sententiam latam: prout accidit, quando sententia lata fuit ab eo, qui

nullo modo est iudex competens, ne quidem ex consensu partium: quia videlicet alterutra partium ignoravit ejus incompetentiam; vel quia ex defectu aliarum conditionum ad prorogationem jurisdictionis requisitarum, de quibus infra § 6. n. 129 et seqq. in ipsum consentire non potuit. Nihilominus regulariter exceptio declinatoria fori debet proponi ante omnia alia, atque ante ipsum ingressum litis: alioquin enim scienter litigans coram iudice cæteroquin incompetenti, hoc ipso censeretur in ejus personam consensisse, ipsiusque jurisdictionem in se prorogasse; qua ratione is ex incompetente fieret iudex competens, qualis postea amplius recusari non posset. Julius Clarus lib. V. *Practicæ criminalis*. § fin. quæst. 35. in addit. n. 1 et 2. citans Beroum in cap. i. n. 16. *de Accusat.*

9. *Quid, si de competentia, vel incompetencia iudicis, liquido constat?* — Resp. II. Quando de incompetencia iudicis aliunde liquido constat, citatus venire non tenetur, l. ult. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* Glossa in l. II. §. *Sciatur* ff. *Si quis in jus vocatus*, etc. et communis. Secus, quando certum est, citatum esse de jurisdictione citantis: quia tunc venire debet, alioquin punitur, l. 1. ff. *Si quis ius dicenti non obtemperat.*

10. *In dubio de incompetencia fori tenetur citatus venire, suamque exceptionem probare.* — Resp. III. Si vero de incompetencia fori, seu jurisdictione citantis certo non constat, sed dubium existat, adhuc tenetur citatus comparere; atque allegando privilegium exemptionis, aut aliam legitimam causam opponendo, docere de incompetencia iudicis. Patet hoc ex c. *Cum personæ*. 7. *de Privileg.* in 6. et l. *Si quis ex aliena*. juncta Glossa §. *Existimare*. ff. *de Judicis*. Ubi et hujus ratio redditur illis verbis: « Prætoris enim est existimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem est, non contemnere auctoritatem prætoris. » Concordat. l. II. ff. *De in jus vocando*, ubi pariter citatus venire tenetur, haud obstante dubio de jurisdictione citantis: « Ut hoc ipsum (inquit textus) sciatur, an jurisdictionis ejus sit. » Idque merito statutum fuit: alioquin enim perversi quique facile eluderent omnem iudicis auctoritatem, allegando ex causis quandoque frivolis hujus incompetenciam, si stante dubio non tenerentur comparere, et incompetenciam fori probare.

11. *Et tunc ipsemet iudex cognoscit, an sua sit jurisdictio, necne.* — Atque ex his formatur generalis regula communiter inter doc-

tores recepta, quod, ubi quæritur de ipsa fori competentia, quilibet iudex, sive ordinarius, sive delegatus, cognoscere possit, an sua sit jurisdictio, juxta cit. l. *Si quis ex aliena*. ff. *de Judic.* Idque verificatur non tantum, si ad instantiam partis, sed etiam si ex officio iudicis proceditur: nam jura allegata loquuntur indistincte. Abbas in c. *Super litteris*. n. 10. § *Numquid iudex*. *de Rescript.* Engel h. t. n. 96. Quinimo istud procedit etiam in iudice cæteroquin incompetente, ut puta, dato per rescriptum subreptitè obtentum: nam et talis habet potestatem cognoscendi in dubio, an ipse sit iudex, necne; prout uberius dictum est lib. I. tit. XXIX. *de Officio et potestate iudicis delegati*. § 6. n. 130 et 133.

12. *Nec obstat, quod nemo sit iudex in propria causa. Propria causa, quæ censeatur esse?* — Dices: Nemo potest esse iudex in propria causa; ergo nec talis iudex poterit cognoscere, an sua sit jurisdictio. Resp. regulam in antecedenti positam limitari inter alia, quando istud a lege fuit concessum iudici; prout accidit in præmisso casu vi citatæ legis, *Si quis ex aliena*, cum concordantiis supra tit. præced. § 8, n. 210 et n. 207 et 208. allatis, ubi plura de hoc. Accedit, quod re penitus inspecta, iudex iudicans de sua jurisdictione, non sit iudex in propria causa quantum ad utilitatem: unde non mirum, quod possit super ea pronuntiare; uti notat Glossa, et Bartolus in cit. l. *Si quis ex aliena*. ff. *de Judicis*. Idque declaratur ex eo: quia iudex pronuntians, quod sua sit jurisdictio, nullum inde emolumentum suo nomine recipit, sed tantum ampliatur jurisdictio sui officii: atqui ea dumtaxat censeatur « propria esse causa, cujus emolumentum, vel damnum, ad aliquem suo nomine pertinet; » ut loquitur textus notabilis in l. I. § *In propria*. ff. *Quando appellandum sit*; ergo.

13. *Orta questione de competentia fori inter iudicem ecclesiasticum et laicum, debet cognoscere ecclesiasticus.* — Quæritur IV. Quod si tandem inter iudicem ecclesiasticum et laicum oriatur quæstio super competentia fori in casu speciali, utroque pro se jurisdictionem prætentente, tunc ipsi non conjunguntur, nec uterque agnoscit; sed iudex ecclesiasticus propter majorem auctoritatem, et prærogativam fori ecclesiastici præ sæculari, semper præfertur, debetque cognoscere, an sua sit jurisdictio, necne. Ita desumitur ex c. *Si iudex*. 12. juncta Glossa, et doctores ibid. *de Sentent. excomm.* in 6. ubi loquendo de male-

factore, qui captus a iudice sæculari dicit se esse clericum, istud clare habetur decisum; prout amplius infra § ult. n. 273 et seqq. h. t. dicitur. Id ipsum suadet major auctoritas potestatis ecclesiasticæ præ civili, quæ, quanto præstat aurum, si comparetur ad plumbi metallum, tanto præcedit potestatem sæcularem, can. *Duo sunt*. dist. 96. Et quanta est differentia inter solem et lunam, ita major est auctoritas ecclesiastica, quæ præest diebus, id est, spiritualibus; ac altera, quæ præest carnalibus, c. *Solite*. 6. *de Majorit. et obed.* cum similibus. Atque ideo datam conclusionem tenet Felinus in 6. *Pastoralis* n. 4. *de Rescript.* nomen lectorem, ut hujus nunquam sit oblitus. Covarruvias *Pract. quæst.* cap. XXXIII. n. 1; Sperellus decis. 8. *Fori ecclesiast.* n. 23. et decis. 24. n. 59. allegans alios; Jason in l. *Ex quacunque*. n. 19. ff. *Si quis in jus vocatus*, etc. post Anton. de Butrio in c. *Cæterum*. col. 4. *de Judic.* et Joan. de Imola ibid. subjungens, quod hoc communiter tenetur, Julius Clarus, lib. V. *Pract. criminalis*. § fin. quæst. 36. n. 21; Farinacius in appendice *de Immunit. eccles.* n. 367. et lib. I. *Praxis criminalis*. quæst. 8. n. 33. citans plurimos alios.

14. *Competentia fori pluribus modis oritur.* — Quæritur III. Quibus modis generatim inducatur competentia fori? Resp. I. Etsi pluribus modis oriatur competentia fori, adeo ut Speculator tit. *de Competentis iudicis additione*, quinquaginta duos modos sortiendi forum enumeret; nihilominus generatim loquendo fori competentia deducitur ex tribus potissimum principiis: I. *Ex persona iudicis*: ut quia est ordinarius, vel delegatus, aut quia prorogata est ejus jurisdictio. II. *Ex persona rei*: ut quia hic alicubi habet domicilium, vel ibi contraxit, aut deliquit, vel saltem res ejus in territorio talis iudicis sita est: item quia habet privilegium fori, adeo ut alibi conveniri nequeat, et hujusmodi. III. *Ex qualitate causæ*: ut quia causa ecclesiastica, vel sæcularis, aut feudalis, et hujusmodi. Engel, h. t. n. 1. atque amplius patebit ex dicendis.

15. *Modi ordinarii ac speciales, et extraordinarii seu generales sortiendi forum, qui?* — Resp. II. Modi ordinarii, seu speciales sortiendi forum, sunt quatuor, qui enumerantur in cap. ult. h. t. illis verbis: « Ratione delicti, seu contractus, aut domicili, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, forum regulariter quis sortitur. » Alii vero

modi sortiendi forum dicuntur extraordinarii, simulque generales, utpote cum non sint restricti ad certam speciem, sed indifferenter possint competere respectu delictorum, contractuum, rerumque ipsarum. Ita Abbas in cap. ult. n. 2. h. t.; Pirhing eod. n. 5 et 6; Saning cap. f. n. 6 et 7. ac alii. Atque de præcipuis ipsorum singillatim loquendo, sit

§ II

DE MODO ORDINARIO SORTIENDI FORUM RATIONE DOMICILII.

16. *Domicilium generatim, quid, et quotuplex?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit domicilium? Resp. I. *Domicilium* in genere, dici potest locus habitationis diurnæ, seu longi temporis, ut explicat Calepinus §. *Domicilium*. Atque istud juxta doctores communiter dividitur in domicilium habitationis, in domicilium originis, et in quasi domicilium. Ludov. Engel, h. t. n. 1. et alii in progressu enumerandi.

17. *Domicilium habitationis, quid? De hoc semper intelligitur nomen domicili absolute positum.* — Resp. II. *Domicilium habitationis* dicitur locus ille, in quo quis larem habet, aut majorem fortunarum suarum partem constituit, animo ibidem perpetuo commorandi. Ita in re communis, atque desumitur ex l. *Senatores*. c. *de Senatorib.* et l. *Cives*. c. *de Incolis*, lib. X. Siquidem verum domicilium non nuda voluntate, et assertione, sed animo et facto simul constituitur, §. *Domicilium*. c. *Ad municipalem*, estque amplius dictum supra libro I, tit. XI. *de Temporibus ordinationum*. § 4, n. 86. Et de hoc domicilio habitationis semper intelligi debet, ubi fit mentio de domicilio absolute posito, juxta Glossam in c. *Statutum*. §. *Unam dictam*. *de Rescript.* in 6. et Innocentium in cap. ult. h. t.

18. *Potest quis in pluribus locis domicilium habere, licet hoc sit difficile.* — Potest autem contingere, quod quis nedum in uno, sed etiam in pluribus locis, ejusmodi domicilium habeat: ut si quis in duobus locis domum constituerit, ibique æqualiter moretur, per textum notabilem in l. *Assumptio*. § *Jurisprudentibus*, ff. *Ad municipalem*. Concordat c. *Ex parte*. 19. juncta Glossa, §. *Andegavensi*, et Abbate ibid. n. 8. h. t. atque amplius declarat alia Glossa in c. *Dilectus*. 29. §. *Domicilium*. *de Rescript.* Quamvis difficile esse, quod quis